



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](#)

reliquæ omnes certitudines participantur; quamvis enim sit metaphysicæ impossibile, quod creatura possibilis sit impossibilis; non est tamen hoc tam impossibile, quam quod Deus non sit impossibilis; necessitas enim creaturæ non est talis essentialiter per statum, sed per alienationem; at necessitas Dei est per statum: si creatura ponatur, habebit prædicta per participationem à Deo; Deus autem non habet sua prædicta per participationem ab altero, sed à se, qui est altior, & nobilior modus habendi; ideoque convenit Deo modo magis necessario, quam creaturæ; unde inter creatas illa est major certitudo, que immediaciū nititur Deo firmiori principio, quam quæ solum nititur immediatè principio creato, quod non est adeo firmum principium: arqui scientiæ naturales nituntur motivis creatis: fides aurem Catholica nititur immediate primæ veritati dicenti: ergo actus divinæ fidei est certior, & infallibilior quacunque humana scientia.

821. Confirmatur, & explicatur hæc ratio fundamento, quo utitur Aristoteles libro 4. Metaphysicæ textu 18. licet sit impossibile, quod quatuor sint 5. & quod 4. sint mille, magis tamen impossibile est, quod sint mille, quam quod sint quinque, eò quod magis recedat à veritate dicere, quod 4. sint mille, quam dicere, quod 4. sint 5. unde & magis mentitus est, qui dicit 4. sunt mille, quam qui dicit 4. sunt 5. En verba Philosophi: *non enim similiter paria esse duo, ac tria dicimus, nec eodem modo mentitus est qui 4. esse, putet 5. aut qui mille: ergo ab opposito magis certo asserit, qui firmiori principio adhaeret, quam qui minus firmo, quantumcunque uterque certo asserat: atqui certitudo habita per scientiam quamcumque naturalem nititur principio minus firmo, quam fides Catholica, cùm hæc immediatè nitatur primæ veritati dicenti, & scientia naturalis acquiratur ex motivis creatis, vel ex identitate extermorum cum medio, quam sibi componit intellectus juxta lumen naturæ ad inferendam identitatem extermorum inter se: ergo actus divinæ fidei certior est quoquaque actu scientiæ naturalis.*

822. Probatur 2. Ille est actus certior, qui ex intrinsecis suis magis certificat intellectum: atqui actus divinæ fidei ex intrinsecis suis magis certificat intellectum, quam quicunque actus scientiæ naturalis: ergo &c. Probatur min. ad quærendum inter duas certitudines metaphysicas quænam ex his intellectum magis certificer, non habemus aliam regulam velex Scriptura, vel ex ratione defunptam, nisi recurrendo ad hypothesim impossibile pro casu, pro quo una ex his duabus contempnenda fore; illa enim, quæ retineretur, magis certificat intellectum, quam illa, quæ contemeretur; sed casu, quo contempnenda esset vel certitudo fidei, vel scientiæ naturalis, potius contemeretur certitudo habita ex scientia naturali, & retineretur ex merito suo certitudo habita

R.P. Gormaz Theolog. Tom. I.

ex fide divina; sicut de facto contemnimus apparentem certitudinem hujus principii in naturalibus; ubi sunt accidentia panis, est substantia panis: ut patet in Eucharistia, & certitudo apparet hujus principii in supernaturalibus, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: ut patet in Trinitate: ergo &c.

Confirmatur & explicatur ista ratio ex Apostolo, & ex SS. Patribus; ex Apostolo ad Corinthios 1. dicente: *licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, preterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit: impossibile namque est illa conditio, quod Angelus de Cœlo, adeoque beatus & impeccabilis evangelizet nobis contraria fidei, & tamen pro hac hypothesi impossibili docet Paulus contemnedā fore hanc certitudinem, & retinendam certitudinem fidei; quod declarat, quam major sit certitudo fidei, quamalia nitens cuicunque motivo creato, quamvis sit testimonium Angeli Beati non potenter decipere. Eodem modo Augustinus supra citatus libro 6. Confessionum cap. 10. dixit: facilius dubitatem, me vivere, quam non esse veritatem, quam andivo in corde; quod enim Augustus dubitaret se vivere, impossibile erat; at cùm illa certitudo non nitetur motivo tam firmo, ac fides divina, non erat tanta, quanta certitudo fidei, ac proinde pro ea hypothesi impossibili certitudo fidei erat retinenda, & altera contempnenda.*

Huc respexit Scriptura 2. Petri 1. dicens: *Habemus firmorem Propheticum sermonem, & Matthei 24. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non preteribunt; cùm etiam Basilius in Psalmum 115. fides supra rationales methodos animalium ad assensum trahens. Chrysostomus Homilia 12. in Epist. ad Hæbreos: fides dici non potest, nisi cum circa ea, qua non videntur amplius, quads circa ea, qua videntur, certitudinem quis habuerit. Richardus à S. Victore libro 1. de Trinitate cap. 2. quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quam quod fide credimus. Quibus alia plura similia testimonio dedimus supra; sed exinde manifestè constar, fidem esse certiorem, quam cunque scientia naturali: ergo &c. Verum hæc omnia clariora sient ex argumentorum solutione.*

S E C T I O N . II.

Solvuntur Opposita.

Obijecies 1. contra 1. Conclusionem: pueri baptizati, & inter Christianos educati cùm pervenient ad usum rationis verè credunt, & tamè non percipiunt evidentiā de obligatione credendi unum articulum præ altero; similiter infideles, quando primum eis predicatur fides sine novis miraculis, per solam rationabilem prædicationem non percipiunt istam evidentiā de obligatione credendi hos articulos, & non

Z z z z z

non alios, & tamen cum convertuntur ad fidem, verè credunt; aliás male facerent prædicatores Evangelij admittendo ad baptismum eos, qui sic incipiunt crēdere. Deinde in aliis rebus humauis non postulatur ista evidētia præferim in hominibus indoctis, sed satis est, ut probabilit̄e judicent hoc esse bonum, vel melius: ergo ista evidētia de obligatione credendi requisita ad veritatem actus fidei, ut specialiter tendat in articulum verum, & nunquam in falsum, solum requiritur respectu corporis Ecclesiæ, non verò respectu singularium personarum ejus, ac proinde actus fidei respectu corporis Ecclesiæ, quamvis non possit tendere in articulum falsum; at respectu alicujus particulae personæ potest tendere in articulum falsum, & apparentem: unde actus fidei non semper erit verus. Confirmatur. Catechumeno proponi potest eadē credibilitate articulus verus, ac falsus; non enim repugnat, quod Parochus instruens illum, eadem verisimilitudine illi credendum proponat, esse tres Deos, ac proponit, esse tres personas divinas; quo in casu non minus crēderet per actum fidei tres Deos, quam crēdat tres personas divinas; atqui actus fidei, quo crēderet tres Deos, esset falsus: ergo actus fidei non est ex necessitate verius.

826. Resp. nego ant., nimirum eos, qui verè credunt, non habere talem evidētiām, vel faltem illustrationem divinam supplémentem evidētiām ex dictis num. 605. ratio est, quia cum fides divina semel concepta de quoéunque articulo non possit absque culpa deponi, ut constat ex Scripturis, & rationibus ibi adductis, ne mo potest fide divina credere sine tali prævia evidētia de obligatione credendi non solūn prakticā, sed etiam speculativa, aut sine illustratione illam supplente: quomodo autem eam habeant pueri baptizati, aut infideles, quando primò veniunt ad fidem in casu argumenti: factio difficillime explicari, sed necesse est, ut ab omnibus Theologis circa Scripturas adductas explicari debeat: quare relīctis aliorum explicationibus, & opinionibus placet doctrina Eximij Doctoris disp. 4. de fide sect. 5. docentis tales homines quantumvis non habent evidētiām methodicè deducitam, habere tamē compendiosam, ut dixi num. 605. & 662: quem habere possunt mediane fide humana de Miraculis, & aliis testimoniosis nostræ fidei ea omnia conferendō cum Sanctitate, & rectitudine morum, atquē cum ipsa doctrina, quam Religio Catholica docet; & ob hanc causam prædicatores Evangelij, qui versantur inter infideles, & Cathechizant adulteros novē conversos non malè faciunt illos admittendō ad baptismum post sufficientem instructionem; debent autem imitari Philippum, qui postquam instruxit Evnuchum, & ille interrogav̄s an liceret se baptizari, respondit Auctor., 8. si credis ex toto corde, licet: ponderanda quidem est particula ex toto corde, per quam postulavit fidem super omnia; at juxta phrasim Scri-

pturæ, atque adeo omnino certam: hanc ergo fidem debent postulare hujusmodi prædictores à noviter conversis, & illos instruere partim docendō, partim excitandō ad postulandum divinum auxilium, ut possint illam concipere, & tunc posse, & debent credere dicentibus se ita credere, & conseq̄enter ipso baptizare, sicut Philippus fecit.

Ad Confirm. dist. maj. eadem venit militudine sufficiētē ad approximationēm requisitam, ut credat fide divina; nego, ut credat aliqua fide humana, conc. maj. & dīlīcta patrī mi. nego conseq. ratio est quia nunquam dari potest sufficiētē propōsitio rei falsæ, quae ad credendum per fidem insulam sufficiat, ut supra diximus, & bene expendit exim. Doctor disp. 3. de fide sect. 13. Nam si sermo sit de generali propositione facta immediatè à Deo, clarum est non posse illi subesse falsum, quod si mediatè facta sit à Deo respectu Ecclesiæ, in illa etiam semper intervenient aliquæ divina opera, per quæ Deus non potest falsum testificari: si vero loquamur de particulari, & privata propositione, seu applicatione divina fidei ad singulos homines, de qua argumentum procedebat, talis propōsitio non est sufficiētē ad credendum assensu fidei insulam, nisi certò, & indubitanter constare posset articulatum propōsitum esse conformem doctrinæ Ecclesiæ, in qua falsitas esse non potest: unde in eo casu in argumento propōsito, ille, qui decipitur, si vellet advertere, dubitare posset, an illa doctrina sit conformis Ecclesiæ, nēc ne: & ideo non statim per fidem insulam assentire, ideoque merito Deus illum non moverat ad tamē assensum fidei divina incompossibilem cum dubio, & fortidine, ne non sit locutus Deus.

Quod autem ita sāpē fiat, constat ex historiis: si enim aliquis dum cathechizatur, dubitat, an illa doctrina sit conformis doctrinæ Ecclesiæ, non moverat ad credendum fide divina, usque dum conformitatem cum doctrinæ Ecclesiæ absque dubio assequatur; circa quod legi potest Daniel Bartoli libra 3. Historia Indicaz. a pag. 757. hæc autem conformitas acquiri potest vel interrogando alios Evangelij Prædictores, vel attendendo ad instructionem ejusdem per longum tempus advertingendo an ille sibi ipsi semper conformis sit, vel attendendo ad homines doctos, qui cathechizantur, & instruuntur, sibi que suadent eam doctrinam conformem esse doctrinæ Ecclesiæ; ita ut nunquam maneat sufficiētē propōsitio, dum illud dubium de obligatione credendi, & de conformitate cum doctrinæ Ecclesiæ non deponatur, atque adeo habeatur conformitas cum doctrinæ Ecclesiæ, nisi Deus totum hoc suppleat per suam illustrationem, ut diximus num. 605.

Quapropter dum Catechumenus, qui supplementum illud non habet, non agnoscat articulatum propōsitum conformem esse doctrinæ Ecclesiæ, quæ errare non potest, licet quaque

doque habeat applicationem objecti fidei, tamen quidem, ut obliget illum ad non discedendum, donec maiorem diligentiam adhibeatur juxta Innoc. XI. cit. num. 591. vel forte etiam ad credendum aliqua fide generatim sumpta, non tamem credendum tali fide, quae nullam haesitationem admittat, donec de doctrina Ecclesiae cerrus sit; cum signa credibilitatis determinate tendant, ut adhibeamus assensum de veritate Ecclesiae, ac proinde de articulis, quos docet Ecclesia, hinc homo tenetur, quando probabilem judicat Religionem Catholicam, vel saltem probabiliorē coenari credere illę autem conatus non erit pia supēturalis affectio; ut latè ibidem tradit eximus Doctoꝝ contra aliquos Théologos, sed erit conatus naturalis, hinc pia affectio naturalis ad fidem naturalem. Ratio est, quia judicium practicum credendi in eo casu non est tam perfectum, quantum est in eo, qui verè credit ea, quae in re ipsa sunt revelata; nam in homine verè credente judicium illud prudens est, & speculativum, quo ait credendum esse fide omnino indubitabili, postquam expendit utriusque partis momenta: in alio verò vel non est tale judicium, vel non est secundum prudentiam in re ipsa, cum propositio non sit ad hoc sufficiens, ideoque in casu de evidētia obligationis mentiendi per ignoranciam invincibilem, non datur judicium speculativum, sed practicum tantum de ea obligatione: cum homo judicium illud non asequatur expendendō utriusque partis momenta, sed potius non expendendo.

830.

Nec sat is est, quod ex ignorantia appareat esse secundum prudentiam; nam eriam interdū homo putat esse demonstrationem, quod non est satis, ut assensum scientiae eliciat, ut diximus num. 736. & qui ex ignorantia operatur, licet putet se prudenter agere, nihilominus actum directum prudentiae non elicet, ut supra diximus: unde consequenter sit etiam actum voluntatis non esse ejusdem rationis, neque ita supernaturalem in illo casu, sicut est in homine verè fidelis; quia vel non est de eodem objecto, id est de eodem modo credendi, vel si ad hoc extenditur, non est secundum prudentiam infusum, quae elicere non potest actum directum, nisi certum; quia potius in virtutibus moralibus eriam est probabile, ut diximus à num. 761. quod suos proprios actus non elicunt, quando obiecta per prudentiam directe non proponuntur, etiamsi talia esse ignorantia appareat.

831.

Objicte 2. Fide cerrum est, Hostiam consecratum esse adorandam: atqui potest quandoque contingere, ut ob occultum aliquem defectum Christus hic, & nunc sub hac Hostia non contineatur, cum propriè illum defectum consecrata non sit: ergo actus fidei, quo quis crederet Christum esse sub ea Hostia, esset esse falsus. Confirmatur. Judæi, qui ante Christi Nativitatem fide divina credebat Christum esse

nasciturum, poterat tunc enidem, vel similem fidei actū continuare post Christi Nativitatem adhuc ipsi occultam: at qui in eo casu talis actus fidei fuisset falsus: ergo &c.

Resp. cum D. Thoma dist. maj. si de certum est esse adorandam Hostiam ritè consecratam, conc. quancunque Hostiam, quam judicamus esse ritè consecratam, nego maj. & concessa mi. nego consequentiam, quia fides de existentia Christi in Eucharistia non fertur ad has, vel illas species panis in particulati, ut diximus num. 591. sed ad hoc, quod verum Christi Corpus sub quacunque Hostia ritè consecrata continetur, & sit adorandum; unde licet hæc vel illa Hostia forte non sit consecrata, non propterera fidei subter falsum. Ad confirmationem dist. maj. poterant continuare afferendo modò, quo antea per divinam fidem asserebant; conc. afferendo contra id, quod antea asserebant nego maj. & distincta pariter mi. nego conseq. Ratio est, quia ad fidem Judæorum solū pertinebat, quod crederent Christum nasciturum tempore à Propheticis prædicto; unde illa determinatio temporis, qua post Christum natum decipiebant credentes adhuc Christum venturum, non erat ex fide divina, sed ex conjectura humana; possibile quidem est hominem fidelem ex conjectura humana falsum aliiquid existimare; at quod ex fide divina falsum existimet, est prolus impossibile.

Objicte 3. contra secundam assertiōnem ex D. Thoma citato num. 727. ubi ait, fidem non esse certiorem scientia naturali quoad nos, & ex parte subjecti: ergo solū dicitur certior omnibus aliis scientiis certitudine adhaesionis acceptæ à pia affectione, non verò certitudine infallibilitatis. Confirmatur 1. Intellectus non potest assentiri objectis obscuris certiis, quam evidentibus: ergo actus fidei non potest esse certior scientiis humanis certitudine infallibilitatis. Confirmatur 2. S. Thomas q̄æst. 14. de veritate art. 1. in corpore ait: intellectus credens est captivatus, quia tenetur terminis alienis, & non propriis, inde etiam est, quod in credente potest infurgere motus de contrario hujus, quod firmissime tener, quamvis non intelligenter, vel scienter. Ergo fides non est certior demonstratione naturali certitudine infallibilitatis.

Resp. conc. ant. & nego conseq. quia, ut ibi diximus cum Exim. Doct. Divus Thomas per ea verba solū significat actum fidei non esse clarum, sed obscurum ex suo modo tendendi, ac proinde posse intellectum, postquam elicit actum fidei, attendere ad alia motiva retrahentia, & elicere aliquam indelibetram, & imprudentem formidinem, quod non provenit ex defectu infallibilitatis in actu fidei, sed ex defectu clariſtatis, qua non afficitur subjectū, sicut afficitur per demonstrationem naturalem. Ad 1. Conſim. dist. aut. non potest assentiri certius viribus naturæ, conc. viribus

Z z z z 3

viribus supernaturalibus gratiæ, & ex motivo altiori, & firmiori infallibilis testimonij divini, nego antec. & conseq. Nam intellectus viribus supernaturalibus gratiæ per simplicem adhesionem ad infallibile verbum Dei potest assentiri certius objectis obscuris, quam ex viribus naturæ assentiantur objectis evidenteribus; neque illa certitudo est solum adhaesiva, sed etiam infallibilitatis, cum conveniat actu fidei ex intrinsecis suis, ut constat à num. 804. unde est supernaturalis, & simpliciter major omni certitudine naturali.

835. Ad 2. Confirm. conc. antec. & nego conseq.; ratio est, quia tunc intellectus tenerunt terminis propriis, ne dubiteret, quando propter apprehensionem terminorum, & propter apparentiam objecti independenter ab ullo voluntatis imperio rapitur ad assensum sineulla dubitatione: cumque ita rapiatur in demonstratione sive scientifica, sive primorum principiorum, ideo dicitur à D. Thoma teneri tunc terminis propriis: tunc autem dicitur intellectus teneri terminis alienis, ne dubiteret, quando praescindendò ab imperio voluntatis non assentiretur objecto sine dubitatione; assentire autem sine dubitatione ex imperio voluntatis, vi cuius moveret ad elicendum infallibilem assensum firmissimo motivo innixum, cumque eo modo assentiamur per fidem, exinde docet D. Thomas intellectum credentis teneri terminis alienis.

836. Idcirco in credente potest insurgere dubitatio, seu motus contrarius, & deliberatus, non quidem in sensu composito cum hoc, quod firmissime credit, sed in sensu diviso, in quo potest constitui ex libertate voluntatis transgreendiō intimam obligationem credendi: quod contingere non potest in scientie, & cognoscente rem evidenter, non solum in sensu composito, verum neque in sensu diviso, in quo immediatè ad eliciendum actus evidenter est intellectus jam constitutus; siquidem evidentia vel in se, vel in effectu suo perseverans impedit locum formidinai adhuc imprudenti, ut diximus à num. 714. quæ est alia ratio ad explicandum primum D. Thomæ testimonium. Hanc enim esse veram D. Thomæ intelligentiam constat ex ipso D. Thoma in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstion. 3. ad 2. ubi ait: *veritas prima sive Deus, cui creditur, habet majorem firmatatem, quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur, & ideo fides habet majorem certitudinem, quantum ad formalitatem adhesionis, quam sit certitudo scientie vel intellectus, quamvis in scientia vel intellectu sit major evidenter eorum, quibus assentitur.*

837. Objicies 4. Actus fidei certitudine adhesionis, & indubitabilitatis est minus certus, quam actus naturales evidentes, quibus judicamus v. g. omne totum esse majus sua parte: firmius si quidem adhaeremus objectis, quibus non pos-

sumus non adhaerere, & de quibus non possumus dubitare, quam objectis, quibus possumus non adhaerere, & de quibus possumus dubitate: atqui objectis evidenteribus ita adhaeremus, ut non possumus illis non adhaerere, & objectis creditis ita adhaeremus, ut de illis possumus in sensu diviso dubitate ergo &c. Confirm. actus evidens primorum principiorum non potest metaphysice falsificari, ergo actus fidei non est certior.

Resp. dist. maj. firmius adhaeremus objectis et si cætera sint paria, conc. si non sint paria, nego maj. & conseq. quando enim cætera sunt imparia, nulla est paritatis ratio; unde D. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 8. ad 2. air. *Ad secundum dicendum, quod ceteris paribus visus certior auditu, sed si ille à quo auditur, malius excedit visum evidenter, sic certior est auditu, quam visus; sicut aliquis parue scientia magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur, & malio magis homo certior est de eo, quod audit à Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, qua falli potest.*

Ad Confirm. dist. ant. non potest metaphysice falsificari ex necessitate desumpta immediatè ex suis motivis, naturalibus, conc. ex necessitate desumpta ex altiori, & firmiori motivo sive proximiori primæ veritati, nego ant. & cons. ut constat ex dictis à num. 820. Itaque intellectus inter necessitates metaphysicas ad veritatem infallibilem actum elicit, quo firmiori principio nititur & proximori primæ veritati, sicut est minus firmus actus innixus motivo magis à prima veritate remoto: nec refert, quod ante vel post & cum fidei possit intellectus in sensu diviso dubitare, nam hoc solum probat non esse cætera paria, que ad elicendum actum fidei, & scientię naturalis requiruntur. Nam objectis revelatis, de quibus proper in evidentiam, potuerit intellectus dubitare imprudenter, assentire ex motivo divinae veritatis, & per lumen supernaturale fidei, ac per vires supernaturales; at objectis naturalibus evidenteribus assentire ex motivo inferioribus per lumen purę naturale & vires naturales; unde quamvis ab his rapiatur ad assensum, non potest elicere talern assensum infallibilem, quem per vires supernaturales nitentes primæ veritati, licet ab his non rapiatur ad assensum.

Objicies 5. ex Durando: magis est infallibilis ille actus, qui tum in se, tum in effectu suo manens excludit omnem etiam indelibetam formidinem; atqui actus scientie ita excludit, & actus fidei, licet non excludat, dum est in se, non tamen excludit dum manet in effectu, quandoquidem formido solum delibera destruit fidem, ut habeatur C. 1. de Haereticis: *Omnis enim dubitatio delibera circa fidem destruit fidem;* ergo &c. Resp. neg. maj. quia quod excludatur formido indelibet ab actu, qui non manet in se, sed in suo effectu, non habetur ratione infallibilitatis, sed ratione dubitatis,

ritatis, quae manet eminenter in effectu.
 841. Quare licet homo fidelis aliquam formidinem indeliberatam habere possit, quando actus fidei non manet in se, sed in suo effectu, ut docet Divus Thomas quest. 14. de veritate art. 1. at dum manet in se, non potest componi cum ulla adhuc indeliberata formidine. Ratio est, quia fides facit formaliter intellectum appetiativem magis adhaerere objecto revelato, quam demonstrato; sed cum appetatio non sit claritas, postquam actus elapsus est, non manet vis exclusiva formidinis indeliberatae, nisi homo adverterat ad suam appetiationem, eamque ut tenetur, renovet. Quapropter fideles, qui in ipso credendi exercito videntur experiri de illis ipsis mysteriis, quae credunt, aliquos dubitationis motus, revera non conjungunt eos cum actu fidei, licet absque mora perceptibili succedant.

842. Si autem aliqui motus coexistunt non sunt actus potentiae judicativae, sed apprehensivae, & solum saepe existentes in phantasia, ut bene notavit Platelius in Synopli 3. parte cap. 1. num. 675. cum enim formido intellectus sit judicium, quo intellectus judicat assensum suum quantum est ex parte motivi, cui innititur, forte esse falsum, neque repugnare ex vi illius motivi, quod objectum se aliter habeat, manifeste sequitur assensum fidei divinae actualiter nullatenus componi posse cum ea formidine etiam indeliberata & involuntaria; quandoquidem fides adhaeret ita Verbo Dei infallibili ut potius contemneret quamcumque demonstrationem, quam veritatem, cui ratione divini testimoniij assensum praebet, unde in terminis implicat, quod tunc possit dicere forte objectum aliter se habere, vel non repugnare quod aliter se habeat.

843. Objicies 6. Scientia Beatorum est certior fide, non quidem ex parte objecti vel medijs, quod utrobius est divina veritas, sed ratione diversi modi tendendi intellectus in Deum in pannis per visionem, & in via per fidem; ergo cum scientia habeat hunc meliorem modum tendendi in veritatem, scilicet claram & evidentem, erit etiam certior fide. Resp. omisso ant. quod fallum est, ut notavimus num. 265. & 557. quandoquidem visio Beatifica innititur predicationis pure divinis, actus vero fidei etiam revelationi create &c. sed dato antecedenti neg. conseq. Ratio est, quia viator solum audit divinam veritatem dicentem, Beatus autem videt illam presentem; viator attingit illam praeceps per intimam obligationem credendi, Beatus vero per intuitivam Dei cognitionem; certitudo autem ceteris paribus non parum firmatur ex visione intuitiva objecti, unde scientia Beatorum certam securitatem fidei habet & aliud amplius, ideoque dicitur jure merito fidei certior.

844. At vero scientia humana non habet idem ac-

sentiendi motivum, quod fides divina, ideoque licet aliunde habeat evidentiam, certitudine autem semper manet inferior fide, cum motiva humana longe inferiora sint autoritate divina, & lumen rationis sit minus infallibile, quam lumen fidei, cum unum ex duobus contemendum foret potius ratione humana, quam fidem divinam contemneremus, ut dixi num. 767. haec autem compositione conditionata non importat fluctuationem aut suspensionem aliquam rationis humanae circa prima principia, sed praelationem rationabilem luminis divini supra humanam, ut ibi late diximus; quam obrem certitudo primorum & per se non stat in exclusione formidinis, quam respicit ut effectum, sed in positiva perfectione innitente perfectiori motivo. Ex dictis

Fit 1. Autem dicentes Deum de potentia absoluta posse mentiri, quando revera credebant fide divina in actu exercito retractasse sententiam, ut bene notavit Maurus. Ratio est, quia non possent firmissime credere, si cogitarent, quod possent a Deo falli, unde quod ore docebant, exercite retractabant; ut de aliis diximus num. 736. Fit secundum certitudinem saltem accidentaliter, & intensivè, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 4. posse esse maiorem in uno, quam in altero; ratio est, quia ille qui majori gratia pollet, si operetur quantum potest, elicet quidem intensiorem actum, ac proinde firmiorem ac certiore non quidem firmitatem, & certitudine essentiali, sed quantitativer & accidentaliter. Pariter qui habet habitu pia affectionis magis intensem, si operetur, ut potest majori devotione, confidentia, & promptitudine operabitur, siveque actus fidei dabit majorem accidentalem perfectionem.

Quo in sensu intelligentius est D. Thomas 846. loco super citato, ubi sic habet, si vero consideretur fides secundum participationem subjecti hoc contingit dupliciter, nam actus fidei procedit ex intellectu & ex voluntate, ut supra dictum est; potest ergo fides in aliquibus dici major, uno modo ex parte intellectus propter certitudinem & firmitatem, alio modo ex parte voluntatis propter maiorem promptitudinem seu devotionem, seu confidentiam. Quod autem mens D. Thomas sit de majoritate quantitatativa a nobis exposta patet ex initio corporis, ubi sic habet: dicendum quid, sicuti supra dictum est, quantitas habitus ex duobus attendi potest, uno modo ex objecto, alio modo secundum participationem subjecti: & infra ad tertium dicendum: quod intellectus principiorum consequitur ipsam naturam humanam, que equaliter in omnibus invenitur, sed fides consequitur donum gratiae, quod non est equaliter in omnibus, ut supra dictum est; unde non est eadem ratio.